Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 667
Quelle:
Copyright:

constabit. Prooemium infit: *Sicut referunt matheum conscribere euangelium causa compulit talis* &c. *Fol.* 71. post finem *Hom.* XXIII. (impress. 22) *non quia nec apostoli tantam fidem habuerunt*, desunt nobis omnia usque ad *Hom.* impress. 32. et illa: *Quantumcunque gratuitum et utile sit* &c. Quae Homilia, ac si nihil excidisset, nobis XXIV. inscribitur. Eadem pariter deesse in *Cod. ms. Vallis Dei Carthus.* adnotavit *Montefalconius* ad *h. l.* Similiter et in hoc, et in nostro, *fol.* 107. post verba: *et apprehendimus sicut deus*, locus, qui in impress. 34. lineas *col.* occupat, deficit. Denique et in eo gemini sunt noster et Carthusianus, quod non ultra C. XXIII. *Matth.* progrediantur, sed desinant in haec verba *Homiliae*, quae in impress. XLVI. est: *qui in actibus apostolorum leguntur*. Plura de Opere ejusque Autore cognoscere volentibus in promtu est erudita *Montefalconii Diatribe* ejus editioni *l. cit.* praemissa. Illud tamen praeterire nequeo, injuriam Autori fieri, dum *Homil.* XI. circa medium, nobis *fol.* 40. p. 2. in impress. p. LXIII. prave de *Eucharistia* loqui dicitur; qui enim locum illum aequa mente perpenderit, de vasis sanctificatis *veteris legis* sermonem esse deprehendet, in quibus utique *verum Christi corpus* non fuit, sed *mysterium*, i. e. figura vel symbolum *corporis ejus* continebatur.

II. *fol.* 121. *Johannis Damasceni* Scriptoris Sec. VIII. Opus *de Fide Orthodoxa* a *Latinis*, neque iis antiquissimis, in IV. *Libros* distinctum, cujus operis methodum deinceps Theologi Scholastici duce *Petro Lombardo* secuti sunt. Inscriptio miniata mendosa sic habet: *Johannis presbiteri damac. qui mansio* (Mansur, Μανσουρ,) *liber incipit in quo est tradicio circa ortodoxie. diuisa c. burgundione iudice ciue pisano de greco in latinum domino tercio eugenio beate memorie papa* (1145 — 53) *translatus*. Titulus c. I. *Quia incomprehensibilis est deus et quia non oportet querere et circumscrutari que non sunt tradita nobis a sanctis prophetis et apostolis et euangelistis*. Initium: *Deum nemo uidit unquam nisi vnigenitus dei filius. qui est in sinu patris. ipse enarrauit. ineffabilis igitur est deus et incomprehensibilis.* &c. De cognomine *Johannis* varia congessere *Leo Allatius* in *Prolegom.* Opp. *Johannis Damasc.* ex edit. *Mich. Lequien* O. P. *Paris.* T. I. 1712. p. VII. et *Ducangius* in *Gloss. med. et inf. Graecit.* ad *v.* Μανσουρ; neuter tamen, dum de hoc cognomine ab *Leone* Imp. contumeliose in Μανζηρ mutato testimonia adducit, rabbinici ממזיר, quod *Spurium* notat, meminit, licet id *Cedrenus* a priore citatus innuat, dum ait nomen illi Ιουδαϊκῷ φρονήματι mutatum fuisse. Quod *Interpretem* latinum in *inscriptione* nominatum adtinet, est is *Johannes Burgundio* (ital. Borgondio, s. Borgondione) Civis et Judex *Pisanus* vir linguarum et negotiorum peritus, defunctusque in